

649

P A T R I S T I C I

650

Fol. 170. *Lactantij. fir. de opificio hominis ad Demetrianum Liber Incipit.* Haec rursus rubro. Libri exordium: *Quam minime sim quietus &c.* C. I. sub finem noster quoque legit: *oculis contractari.* C. II. sub initium *pellibus* legit pro *pilis*; melius fortasse; non enim omnia animalia pilos habent. C. vero III. *boves luce*, cum *boves lucas* (Elephantes) aut *equos*, rescribendum esset. Sub finem C. IV. adfunt verba: *que reuerentia inter se? quis ordo?* quae Parisina repudiat. C. VII. post initium nihil de *imagine*, sed expedite legitur: *innumerales animantium preferat uarietates.* C. VIII. ubi de Sono in aures recepto sermo est, malo nostri: *foramina ipsa conueberent*, quam Parisinae *cobiberent*. C. XI. duas interjectiones: *in quod spiritus reciproca vicissitudine commearet*, et: *ut flecti cervix, ac moveri facile possit*, non agnoscit noster. C. XIX. Oratio Manichaeismo favens et passim veteratori cuiquam adtributa inserta est; incipit vero: *Dedit ei et constituit adversarium &c.* et finit: *victus prostratusque discedit.* Ultima Libri: *ad iter caeleste direxerit*, et rubro: *Lactantii firmiani de opificio hominis liber finit.* Haec Speciminis instar de Codice, cujus notitiam *Heumanno*, *Bünemanno*, *Lebrunio*, *Langletoque*, ultimis *Lactantii* editoribus, non ingratam futuram fuisse mihi persuadeo.

CCVIII. VII. B. 15

Codex membraneus lat. Sec. 9^a XV. Folior. 256. f. nitidissime exaratus, fronte et literis initialibus deauratis, artificioseque picturatis complectitur *Coelii Lactantii Firmiani* Sec. IV. Scriptoris Opera locis graecis rite ubique insertis, et variis in margine castigationibus adpositis. Inscriptio purpurea sic habet charactere quadrato: *Firmiani Lactantii Divinarum Institutionum Aduersus Gentiles. Liber Primus.* Libri omnes septem integerrimi sunt, non tamen in Capita divisi. Lectio passim proba, et ad recentissimas editiones, *J. Lud. Bünemanni* Lipsiensem 1739. 8. et Parisinam *J. B. Le Brunii* 1748. 4. intelligimus, accedens. Ita L. II. init. legitur: *conuictis inanibus.* L. III. restituitur: *nisi ornatu aliunde questito circumlitum fuerit ac politum.* Sub finem L. IV. cum aliis Haereticis nominantur et *Arriani*. Post init. L. V. ubi de *Cypriano* sermo est, non comparet interjectio illa: *Unde apparet disertissimo &c.* L. VI. init. *et scientiam* legit noster, non *et conscientia*. Versus finem L. VII. abest tota illa ad *Constantinum* Imp. apostrophe, quae incipit: *Sed omnia jam sanctissime Imperator &c.* Haec speciminis ergo; plura enim jam ad praeced. *Lactantii* Codicem adnotavimus. Illud addendum: graecorum locorum interpretationem latinam ipsi textui ubique insertam esse.

651

I C O D I C E S

652

A fol. 210. literis purpureis: *Firmiani lactantii ad Donatum de ira dei liber incipit*. Neque hic in Capita sectus. Fol. 211. p. 2. absunt verba illa: *prodesse non posse*. item fol. 226. illa: *Sed defertur aliunde usque ad moveri*. Fol. 228. p. 2. male: *resipiscendi sui*.

A fol. 231. rursus purpura: *Firmiani lactantii ad demetrianum de opificio hominis liber incipit*. Rursus item continuus. Fol. 232. p. 2. probe: *oculis contrectari*, item paullo post: *pellibus textit*, pro *pilis*. Fol. 234. p. 2. pro *boues lucas* legitur interpunctum *boues: uaccas*. Sub finem fol. 250. p. 2. adest illa *περιουρη: dedit ei et constituit aduersarium — uictus prostratusque discedit*, quam ut Manichaeismum redolentem *Editio Parisina suprac.* e' textu expunxit.

Fol. 252. absque inscriptione legitur elegans illud *de Phoenice Carmen* incerti Autoris, quibusdam in *Lactantium*, *Barthio* in *Venant. Fortunatum*, *Sirmondo* in *Theodulphum Aurelian.* incli-

nantibus. Incipit, ut notum: *Est locus in primo felix oriente remotus &c.* et finit: *Eternam uitam mortis adepta bono*. Contulit illud jam *Lambecius* cum *Xysti Betuleji* et *Mich. Thomastii* edit. *Lactantii*, illa *Basil. 1563.* f. hac *Antwerp. 1587.* 8. et lectionis varietatem adnotavit *Comment. L. II. p. 788. edit. Kollar. col. 600.* quo remittimus.

Fol. 254. p. 2. sequuntur de *Phoenice* versus XII. ex *Metamorph. Ouidii L. XV. a v. 391 — 402.* descripti, quibus *I. cit.* idem officium *Lambecius* exhibuit. Demum fol. eod. Codicem terminat absque titulo *Venantii Fortunati Carmen Paschale* incipiens: *Salue festa dies toto uenerabilis quo &c.* quod *Distichon* Editores *Parifini* non sat gravi ratione *XIX.* aliis postposuere; adiecere praeterea *Mich. Thomastium* fecuti in fine *Disticha V.* ex *Cod. Vatic.* quae absunt a nostro; variantes item lectiones in margine. Fefellit illos tamen *Distichon* ultimum in voce *Pastor*, quod ex nostro sic restituitur:

Quos prius eua nocens infecerat: hos modo reddit
Ecclesie pastos ubere lacte sinu.

CCIX. VI. G. 14.

528 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 208. 4. sat nitidum et non contemnendum vetusti cuiusdam Exempli *Απογγραφον*, quod olim *Joh. Sambuci* fuit, complectitur *L. Caecil. Firmiani Lactantii Divinarum Institutionum Li-*

bro VII. absque sectione in Capita, *Locis graecis* manu recentiore eleganti subpletis, et Scriptorum veterum, quibus Autor utitur, in margine adnotatis nominibus. Collatione cum edit. *Parisina Brunii* et *Lengletii 1748.* 4. instituta praeter leuiiores *Librarii* lapsus sequentia observare visum

sum